



Disputatio medica inauguralis de epilepsia

<https://hdl.handle.net/1874/340680>

4

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
EPILEPSIA,

^{Q V A M}
DUCE ET AUSPICE S.S. TRIADE.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Inlyta Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Alma, ac
Nobilissime Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis.

ÆGIDIUS van RYCKEGEM, MEDIOB. ZEELAND.

Ad diem 26. Martii, hora locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo lcc LXXXVII.

*Spectatisimo, prudentissimo ac admodum
reverendo VIR O,*

D. ÆGIDIO van RYCKEGEM,

Reipublicæ Medioburgensium Senatori & exscabino, parenti
suo charissimo, omni, quo par est, filiali amore ac obedientia
ad extremum vitæ halitum, honorando, colendo.

U T E T

Nobilissimis & Amplissimis Dominis

D. JOHANNI PETRO vanden BRANDE,

Cleverskerkiæ Dom. Civitatis Medioburgensis Senatori & Scabi-
no integerrimo, Cognato meo nunquam non observando, su-
spiciendo.

D. RUDOLPHO ab ARCKE L,

Broukhuysæ, Burstæ, &c. Dom. Fautori suo summo, omni
quo par est honore ac observantia cultu prosequendo, vene-
rando.

NEC NON

Experientissimis Doctissimisque VIRIS,

D. ANTHONIO de HEYDE,

E T

D. ELIAE SAUTTYN,

Medicinæ Doctoribus, practicis felicissimis, celeberrimis, de
me, studiique mei Medici primordiis optime meritis, omni ita-
que amore & honore prosequendis.

Disputationem banc inauguralem

Sacram facit

ÆGIDIUS van RYCKEGEM,

Auctor & defendens.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
EPILEPSIA.

THESIS I.



Uod fragilis frivolisque hic miser animantium vitæ sit status, quodque variis continuo ferme infestetur calamitibus, miseriis & ærumnis, adeo manifestum est omnibus, quod nemo mortalium id (ut opinor) inficias ibit; quodque alias pluribus posset, nunc unico dumtaxat affectu probare sufficiet; placuit itaque in præsentiarum, (ut ritibus Academicis satisfiat) quædam de *Epilepsia* proponere, quem gravem morbum breviter tamen, & pro ingenii modulo tantum expedire animus est.

Et quandoquidem hic omnia libenter methodicè tractarem omnium primo mihi demonstrandum incumbit, quid *Medici* per *Epilepsie* vocem & Etymologiam intelligent.

4 DISPUTATIO MEDICA

I I.

Epilepsia nomen originem dicit à Græco verbo ἐπίλεψις, quod Latinis invado significat, quia procul dubio hic affectus hominem subito & ex improviso invadit. Etymologia vocis breviter sic perspectā, ne diutius circa leviora hæc hæreamus, nos potius ad definitionem ipsam conferemus.

I I I.

Epilepsia itaque est convulsio corporis, vel plerumque partium ejus interpolata, cum mentis & sensuum pro tempore læsione.

De sede vero & subjecto ejus non valde erimus solliciti, facimus enim cum iis, qui hic partem affectam primariam, cerebrum ejusque consequenter nervosesse, statuant.

I V.

Quantum vero ad differentias attinet, hæ 1. vel idiopathicae, sunt, quando scilicet causæ irritantes in ipso cerebro continentur, vel sympatheticæ, quando aliunde ad cerebrum transmittuntur. 2. Vel fortes, vel etiam quidem leves, fortis est cum totum corpus omnesque ejus partes contrahuntur, cumque simul omnes sensus tam interni quam externi abolentur: levis vero est, cum una tantum pars separatim convellitur, cumque præterea mens sana & integra maneat, sensusque omnes externi vigeant, datur etiam 3. Hæreditaria, vel etiam quidem proprio vitio & diæta acquisita.

V:

Hisce præmissis hujus etiam affectus causæ considerandæ veniunt, eas vero dividimus in proximam, antecedentes & proctharcticas, sive externas. Causa proxima est lympha in cerebro vitiata,

I N A U G U R A L I S.

vitiata, humores etiam extravasati crassi, acres & imprimis accido-austri, qui partim sua viscositate nervorum orificia obstruunt, liberumque ita spirituum animalium influxum impediunt, partim fortuito intra nervos recepti, eorum fibrillas sua acrimonia irritant, vellicant, spiritusque occlusos inordinate quaquaversum explodunt, unde etiam pro varicitate partium in quas spiritus isti irruunt, oriuntur etiam variii affectus, motusque diversi convulsivi.

V I.

Post assignatam causam proximam, jubet ordo ut ad antecedentes nos conferamus.

Culpamus hic potissimum sanguinem, quatenus scil. hic vel nimia quantitate, vel viscositate & acrimonia peccat; & non tantum hic sanguis, verum etiam & alii humores, a sanguine in cerebro secreti, culpandi veniunt, & præ cæteris quidem lympha, de qua, (si sanguis fuerit nimis crassus, viscosus, aut aliis qualitatibus peccans) idem etiam exspectandum erit.

Peccans itaque lympha in cerebro nimia quantitate, viscositate & crassitie, facile ibi multis in locis vasa lymphatica (ut pote valde tenella & exigua cavitatem habentia) possunt obstrui, quæ obstructa (cum hanc lympham nova continuo exceptiat & propellat) post præviā nimiam distensionem tandem rumpuntur, & contentos suos humores in partes vicinas effundunt, qui interea dum ibi stagnant, ingentem acrimoniam contrahunt, quare si illi commoveantur, & forte fortuito intra tubulos nervorum recipientur aut impellantur, quod necessario illorum fibras spiculis suis acutis debeant irritare & vellicare, quis quæso est, qui non videt?

V I I.

Causa proxima, nec non antecedentibus breviter propositis ad procatharticas five externas nos convertimus, quæ præcipue ab abuso rerum non naturalium dependent.

A^o 3

felices

6 DISPUTATIO MEDICA

scilicet frigido, nebuloso, crasso, multisque tenacibus, crassisque particulis permixto quatenus scilicet aér tali modo constitutus sanguinem & per consequens etiam lympham incrassat siveque ad motum inceptorem reddit; similiter aërem sic etiam culpamus halitibus acribus infectum, quatenus sanguinem & per consequens etiam lympham acriorem reddere valeat. 2. Cibum etiam & potum, quando nempe cibi nimis sunt crassi acidi & austeri, vel si nimis multum falsis acrioris sibi commixtum habeant, inde tunc qualis cibus est, talis erit chylus, qualis vero chylus talis erit sanguis, & qualis erit sanguis, talis etiam ab eo separabitur lympha. Possimus hic etiam suspicari potum, si scilicet corpore prius calefacto, exhibeat nimis frigidus, quoniam sepiissime tunc sanguinem lymphamque incrassat, & in motu nimis subito sistit; è contrario etiam si potus nimis calidus & spirituosus sit, qualis est spiritus vini, vel similiū generosiorum potuum usus immodicus, quatenus scilicet sanguinem humoresque acriores reddit. 3. Hic etiam sommus accusandus venit, si nempe immoderatus & intempestivus sit, sic enim calorem naturalem obtundit, variasque in corpore obstructiones producere potens est; vigilae etiam nimiae cum aliis hic culpanda sunt, quatenus scilicet spiritus dissipent, & humores acriores reddant; huc etiam 4. accedunt nimia corporis exercitia & motus, qui humores sepiissime nimis exagitant, & tandem vasa post præviam obstructionem disrumpunt. Quietam nimiam eadem ratione culpamus, qua superioris nimirum somnum. Neque hic etiam 5. excernenda & retinenda prætereunda sunt, utpote acredini & crassitudini sanguinis lymphæque multiplicem ansam præbentia, qualia sunt mensium fluxus, hæmorrhoidum, lochiorum &c. & quidem diminuti, vel in totum suppressi; ex quibus hæmorrhagiis impeditis facile etiam vasorum sanguineorum ut & lymphaticorum ruptio potest produci, quatenus sic massa sanguinea, & per consequens etiam lympha in dies magis magisque accumulatur. 6. Denique etiam culpanda veniunt animi pathemata, quibus plurimum in hoc affectu tribuimus, qualia sunt anxietates, tristitia, nimia, metus, sollicitudines, ira, quatenus scilicet vel sanguinis & spirituum motus imminuunt, vel nimis & inordinate exagitant.

Causis

VIII.

Causis etiam procathareticis explicatis, me ad hujus morbi signa conferam, quorum alia diagnostica sunt, sive morbum presentem indicantia, alia prognostica, sive morbi hujus eventum prænuntiantia.

Epilepsia signa diagnostica sunt caput dolens, grave & vertiginosum; præterea qui hoc affectu laborant semper melancholici sunt, meticulosi & tristes; subito interdum corruunt, & iactu oculi citius sensu & intellectu privantur, adeo ut non tam cadant, quam quidem quodam impetu prosternantur, ut in iis Willissii verbis utar; sepe etiam supervenit concussio capitis, crebraque ejus ad humum allisio; brachia porro, erura aliæque corporis partes rigidæ evadunt, adeo ut fletri vix queant, aliquando etiam variis quidem flexionibus huc illuc distorquentur; quidam vociferantur, aliis dentium stridor subvenit, aliis vero excretio fœcum, urinæ, feminisque involuntaria; In graviori etiam *Epilepsia* circa finem paroxysmi, spuma per os & nares copiosissime effluit; Remanet plerumque post paroxysmum *Scotomia*, sensuumque maximus torpor, rerum etiam omnium oblīvio, durante paroxysmo peractarum.

Atque hæc de signis diagnosticis dicta sufficient, sequuntur de prognosi quoque pauca adhuc addenda.

IX.

Epilepsia, morbus chronicus est, gravissimus, periculosus & curatu difficilis, imprimis si inveteratus sit, & radices egerit pertinaces; ratione vero differentiarum, epilepsia fortis periculosior est levi, idiopathica etiam sympatheticâ, quæ vero hæreditaria est censetur plane incurabilis; ante pubertatem veniens, feliciter aliquando curata fuit, quibus vero post vigesimum quintum annum contingit, eos fere ad mortem usque comittatur, ut inquit *Hipp. sect. v. aphor. viij.* pubertatis enim tempore in fœminis menstrua fluere incipiunt, per quæ plurimæ corporis

8 DISPUTATIO MEDICA

ris impuritates expurgari solent; adde, quod hoc tempore maximus sit caloris naturalis vigor, qui causas morbificas potenter discutere valet; licet tamen post 25. annum ab Hipp. incurabilis dicatur *Epilepsia*, hoc etiam perpetua non est veritatis, multos enim ætate provectiones, ab hoc tamen morbo liberatos fuisse plurimis quidem refertur observationibus, quamvis tamen (ut etiam hoc addamus) hoc raro contingat. Gravior & vehemens *Epilepsia* motibus suis convulsivis, nonnumquam ægrotantem etiam quidem in ipso paroxysmo è medio tollit; aliquando etiam quidem motu critico in *apoplexiā* vel *paralysia* degenerat; ex quibus omnibus satis luculenter liquet, morbum hunc gravem, & non contemnendum esse, verum tamen licet nunquam periculo vacet, non tamen ideo omnis curationis spes decollanda est, ostendunt enim plurima ab auctoribus relata exempla multos à gravi hoc morbo evasisse, & pristinæ sanitati restitutos fuisse, quare ad curationem ipsam nos accingemus, magno isti morbo magna etiam remedia præscripturi.

X.

Curatio *Epilepsie* potissimum secundum sequentes scopos instituatur, scilicet materia crassa & viscida incidenda, attenuanda, resolvenda est, humores vero acres, acidi, extravasati, partim sunt temperandi, partim etiam educendi, porro perspiratio cerebri totiusque corporis promovenda, insultus & paroxysmi sunt imminuendi & retardandi &c. quibus præ cæteris conducunt olea & salia volatilia, ast omnibus fere antecellunt flores salis ammoniaci albi, flavi & rubri, ejusdemque etiam salis spir. qui sane penetrantissimus est, & non tantum humores crassos viscidosque incidit, verum etiam omne acido-austerum corrigit.

Porro etiam multa alia medicamenta *antepileptica* præparari adsumi possunt ex radicibus *Acori veri*, *Angelicae*, *Bardane*, *Bryoniae*, *Zedoariae*, *Peoniae*, *Valeriana Sylvestris* &c. ex herbis vero *Rute*, *Salviae*, *Majoranae*, *rorismarini*, *lavendulae*, *verbene* &c. ex foliis etiam *diptamni Cretici*, ut & floribus *liliorum convallium*, *hyperici*, *peoniae*, *stachados*, *tiliae*. Ex seminibus *aquilegiae*,

legie, paonie, cardamomi &c. Specifice vero prodest in hoc affectu *Cinnabaris naiv. & antimonii.* *Corallia* etiam præparata eorumdemque *magisteria*, & ferme omnia *salia fixa & volatilia*, quatenus scilicet acidum alterant.

In ipso vero paroxysmo convenient omnia spirituosa & *sale volatili* imprægnata. Prosunt etiam frictiones, vellicationes & ligaturæ membrorum, oris apertio, partium externarum in rectum extensio; illinitiones etiam temporum, corporum, naris, ut & ipsius cranii, præsertim circa suturam (ut volunt) coronalem.

Cum malum pertinax & chronicum sit, tam præparantia quam purgantia sæpius repetenda sunt; quorum etiam formulæ pro cuiusvis ægrotantis arbitrio concinnari possunt, exempl. gr. poterit præscribi pulvis sequens, qui acidum potenter infringit & alterat.

*R. ocul. cancr. pp. ʒij.
magist. corallior. ʒl.
salis volatilis succini ʒj.*

m. f. pulv.

qui pulvis in duas partes dividendus est, & aliquoties reiterandus.

Maximus etiam constat sequens mixtura virtutibus, quæ cochleatum sumenda erit.

*R. aq. majoran.
rorismarin aa. ʒij.
aq. antepilept. amst. ʒvj.
antimon. diaphoret. ʒij.
salis volatilis succini ʒj.
cinnabar. antimonii gr. x.
ol. rorismarin. gut. ix.
majoran. ʒiſ.*

m. f.

X I.

Post pulveris hujus præparantis ut & mixturæ præscriptæ usum per aliquot dies continuatum, non abs re fore putamus, si sequentes præscriberemus pillulas purgantes.

B

R. roſin.

10 DISPUTATIO MEDICA

Rx. resin. Jalapp. gr. vi.
 diagridii gr. v.
 mercur. sublim. dulc. gr. iv.
 salis volat. succin. gr. iij.
 ol. lavend. gr. ij.
 syr. pœoniæ. q. s. ad efformandas. pill.
 f. pill. v.

si cui potio placeat Rx. resin. Jalapp. cum pauxillo vitelli ovi sol.
 gr. xij.

castorei. gr. v.
 spir. salis armon. gt. x.
 aq. flor. Tiliæ. q. s. m. f. haustus.

Notandum etiam hic purgantia in frequenti usu esse habenda,
 semel saltē vel bis in septimana, pro ut vires ægrotantis ferre
 possunt, imo ad fortiora interdum purgantia transeundum esse,
 hinc enim verisimile est, *Epilepsiam* tam raro curari, quoniam
 plurimi *Medici* semper in levioribus hærent.

Laudantur à quibusdam etiam in hoc affectu vesicatoria cer-
 vici, vel cauteria sincipiti admota, quoniam per hæc quasi per
 spiracula aura maligna exhalare potest.

Sympathicæ *Epilepsie* curationem quod attinet, hæc primario
 ad partem affectam dirigenda est; hinc si fomes hujus affectus
 in ventriculo lateat, originemque ducat ex fermento nimis acido
 & corrupto, præ aliis prodeesse poterunt vomitoria, quibus
 tamen specifica, & morbo *Epileptica* conducentia, admiscenda
 sunt.

Plurima insuper à *Riverio* aliisque prescribuntur auctoribus,
 quæ facile etiam huc adduci possent, sed ut in nullis nimiam
 prolixitatem amantes, hæc omnia missa facimus, reliquaque cu-
 riosioribus relinquimus.

XII.

Nihil nobis itaque restat, quam quod de viribus ægri simus
 solliciti, iis enim nimis detritis, omnis curationis spes desperdi-
 tur, quare præter cardiaca, multum conferre poterit liberalior

con-

I N A U G U R A L I S. II

concessa Dieta, Cibi tamen interim boni sint succi, facilitioreisque digestionis, vitentur etiam acida, austera & viscida; potus sit ex decocto lign. Juniperin, visc. quercin. ras. C. C. &c. aér vero sit temperatus serenus & aliquo modo ad calorem vergens. Somnus & vigiliae modum nunquam excedant. Motus etiam corporis mediocres sint, excreta & retenta, quantum fieri possit, naturalia. Animus sit pacatus & hilarius, non statim à levioribus nimis turbatus, porro omnia alia animi pathemata, & præfertim quidem frigida, vitentur.

C O R O L L A R I A.

I.

Uterus in suffocatione uterina sursum nunquam movetur.

II.

Inflammationis causa est impeditus sanguinis circulus.

III.

Sanguis non solum elaboratur in corde, sed & omnibus corporis partibus.

IV.

Cucurbitulæ, setacea & similia vix aliquem agnoscent usum.

V.

Omnes humores corporis nostri à sanguine seceruntur.

VI.

Clysteres nutrientes existere rationi consentaneum est.

VII.

Pulmones non sunt respirationis causa.

VIII.

Arteriotomia in Medicina inutilis est.

F I N I S.

Præstantissimo Doctissimo Domino
D. ÆGIDIO van RYCKEGEM,

S. S. Theol. Cand.

C U M

M E D I C I N A L A U R E A

Decoraretur.



Uc ades, o mea *Musa*, precor conatibus adsis
Euterpe veneranda meis, sedesque relinque
Caſtalias oro, tibi non ingrata canemus;
Ecce etenim venit ad *Phabi* delubra *Sacerdos*
Hic, cui præ cæteris felicia dona *Sorores*
Pierrides tribuere; suas quoquo doctus *Apollo*
Non renuit vires, nusquam *Podalirius* artem.
Plaudite nunc ægri, lætasque advertite mentes,
Hic nimium fractas referet medicamine vires.
Quæ fint, non metuenda tamen, cum prompta medela
Indicat in validis quid possit pellere morbum;
Adspirent porro ceptis pia *Nomina* rebus!
Sic ad venturos veniet tua fama nepotes.

J. M.